



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An qui dubiat se excommunicatum esse, qui per solam famam audivit sententiam excommunicationis contra se latam esse, si postea celebret divina, incidat in pœnas CANonicas, contra ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

moniti fuerint, & non destiterint in continenti, quidquid Glossa in contrarium putet; qui tamen in loco interdicto divina officia celebrant, si Clerici tantum sint, privandi sunt suis beneficiis; si religiosi sint, in arctius monasterium detrahendi, *cap. Postulasti h. t.* ut ne scilicet Ecclesiastica disciplina securitas perturbetur.

§. II.

An qui dubitat se excommunicatum esse, qui per solam famam audivit sententiam excommunicationis contra se latam esse, si postea celebret divina, incidat in pœnas Canonicas, contra excommunicatos celebrantes officia divina decretas?

Responderetur affirmativè, attendendo juris rigorem, quamvis ex misericordia, cum illo dispensari possit à Papa, uti habetur ex *cap. Illud Dominus s. h. t.* ex quo capitulo etiam habetur, pœnam de rigore juris talem incurrere, si coram se divina celebrari faciat, tum quòd tutior via sit eligenda in talibus casibus, tum quòd etiam in posteriore casu videatur contemnere excommunicationem.

§. III.

An excommunicatis possint conferri beneficia Ecclesiastica, & qua pœna imponi debeat illis, qui beneficia his talibus conferunt?

Non possit his talibus conferri beneficia Ecclesiastica, ex dictis jam

patet, & ex *cap. Postulasti 7. h. t.* cum enim beneficia Ecclesiastica præcipue dentur propter officium, officium in tali excommunicatus præstare non potest (cum sit ab officij executione suspensus) sine irregularitatis periculo, consequenter nulla est facta illi beneficiatio, sive publicè, sive occultè sit excommunicatus, sive à jure, sive ab homine, sive per sententiam generalem, sive specialem, sive sit denunciatus, sive non sit, sive noverit ille, qui contra beneficium, hunc talem, cui contra excommunicatum esse, sive non noverit, &c. quia subiectum secundum se est incapax ad beneficium accipiendum; & quamvis ignorantia possit excusare à pœnis, non facit tamen rectam, qui invalidus est, validum (cum in tali causa locum non habeat lex Barb. ff. de officio Prat.) nec retineri potest ab eo beneficium, cui in excommunicatione collatum hoc fuit, si postmodum ab excommunicatione absolutus sit (quod enim ab initio non subsistit, rectus tempore non convalescit, *juxta regul. 11. m. 6.*) nec pensionem spirituales in beneficio obeinere, cum etiam hæc deinceps spirituale officium, cujus est incapax, de pœna verò, quæ conferuntur beneficiis excommunicatis à jure respondent, ita statuit *citat. cap. Postulasti*, quòd si tales sint suspensi à collatione beneficiorum, donec super hoc venum conloquantur; si tamen scienter his talibus beneficia contulerint, pœna puniuntur, cum ignorantia, hæc nullitatem non tollat, ut dictum pœnam tamen non incurrit.